

sed res, et figura est pure figura talis rei, non conveniunt univoce: quando vero figuratum est etiam simul figura et signum intrinsece, non repugnat univoce convenire. Exemplum theologicum est in nostro sacrificio et sacrificio Christi; hoc enim figura est et signum commemorativum sacrificii cruenti, et tamen univoce cum illo est sacrificium. In naturalibus vero videmus, quod signum signi et imago imaginis univoce in ratione imaginis conveniunt. Licet enim in quantum hæc est figura, et illud figuratum ejus, se habeant sicut pictum et verum, tamen in quantum hoc figuratum habet se ut figura respectu prototypi, univoce convenit cum imagine sua in ratione signi, et imaginis unius tertii, quod ab utroque repræsentatur. Sic autem gratia, quæ est quid repræsentatum a novis et veteribus sacramentis, unice ab utrisque repræsentatur, licet perfectius a nostris, respectu quorum etiam antiqua se habebant ut signa et imago.

XLVI. Ex quo sequitur, quod quamvis intrinsece sacramenta vetera fuerint umbræ et imagines nostrorum sacramentorum, tamen non ideo habebant rationem prioris et posterioris, quæ sufficeret ad analogiam, licet haberent rationem prioris et posterioris in ipsa ratione particulari et specifica, sed non in generica, quia etiam nostra sacramenta erant imagines et signa gratiæ, et sic respectu gratiæ, quæ est significatum utriusque sacramenti, licet perfectiora sint nostra quam antiqua, tamen proprie etiam antiqua gratiam significabant, et erant signa illius, licet etiam essent signa nostrorum. Prioritas enim et posterioritas hæc non tollit univocationem signi et imaginis, sicut in exemplis adductis patuit de signo signi, etc.

XLVII. Tertio objicies: Nam significare rem ut præsentem aut ut futuram sufficit constituere analogiam in signis, ut patet, quia verbum significans de præsentem est verbum, et significans de futuro aut de præterito non est verbum, nisi secundum quid et analogice: ergo similiter sufficit constituere analogiam in sacramentis, et ita vetera non erunt sacramenta, quia significabant Christum futurum; nostra erunt vera sacramenta, quia significant præsentem gratiam.

XLVIII. Respondetur primo, quod significare ut præsens, aut futurum, licet constituat analogiam in ratione particulari verbi, non tamen in ratione generica signi vel termini, et similiter, licet in ratione particulari sacramentorum, qua unum est instrumentum gratiæ, aliud non, non detur univocatio, manet tamen in ratione generica sacramenti et signi.

XLIX. Secundo respondetur, quod sacramenta antiqua non solum significabant gratiam futuram, et in genere causæ finalis illam respiciebant, sed etiam præsentem; aut saltem hoc non erat eis repugnans, non præsentem quæ daretur ex vi ipsorum, seu ex vi operis operati, (hoc enim proprium est nostrorum sacramentorum) sed quæ daretur in vi fidei, dispositionisque suscipientis. Circumcisio enim constat, quod præsentem gratiam significabat, et sic non repugnabat illis præsentem gratiam significare. Et sicut fides, ex eo quod respiciat Christum venturum aut præsentem vel præteritum, non est diversa, sic et antiqua sacramenta, quæ illi fidei innuntur, non propterea sunt analoga cum nostris, quia Christum venturum respiciebant.

L. Quod si instes: Nam ex hoc sequi videtur, neque specie differre a nostris, sicut neque fides antiqua

et nostra specie differunt, responderetur negando sequelam, et disparitas est, quia fides antiqua et nostra eadem formalem rationem in specie habebat, scilicet, primam veritatem revelantem; qua ratione formali una manente, quantumcumque materialia objecta varientur, non fit specie diversa fides. At vero sacramenta quæ in antiqua lege erant, et quæ in nova distinctam formalem rationem significandi rem sacram habent; præsertim, quia distincta institutione innuntur, ex qua speciem recipiunt: nam antiqua significabant illam minus expresse et minus efficaciter, non ut exhibitam, sed ut exhibendam. Et sicut religio quæ celebrat Christum venturum, et quæ præsentem, distincta debet esse, et diversis uti cæremoniis, ita et diversis sacramentis, quibus fit protestatio et initiatio talis religionis.

LI. Ad rationem enim sacramenti non solum pertinet facere cognoscere Christum et gratiam, sed etiam ipsam exhibere, cum sit signum practicum; distincta autem ratio est in eo signo, quod exhibet ex vi sua præsentem gratiam, aut quod non exhibet ex vi sua, sed in vi fidei aut dispositionis suscipientis. Variatur ergo ratio formalis sacramenti et cæremoniæ sacramentalis.

LII. Quarto, objicies D. Thomam qui in iv, distinct. 1, quæst. 1, art. 1, quæstiuncula III ad quintum dicit, quod: « Sacramentum analogice dividitur per sacramenta novæ et veteris legis, sicut sanum in habens sanitatem, et in significans illam. »

LIII. Respondetur primo, D. Thomam retractasse illam sententiam, ut dicunt interpretes, quia in hoc articulo et sequenti, quæstione XLI, per plures articulos docet vetera sacramenta fuisse vera sacramenta, præsertim tria. Cum enim primo articulo inquisisset doctor sanctus an sa-

cramenta essent necessaria ad salutem, plane de veris et propriis sacramentis locutus est. Cum autem postea articulo tertio determinaverit, ante Christum post peccatum fuisse sacramenta, hoc probat ratione articulo primo, quia scilicet necessaria sunt ad salutem, oportet quod de veris etiam sacramentis loquatur, alias consequenter non procederet.

LIV. Secundo, respondetur D. Thomam ibi se habuisse ut commentatorem, et varias explicasse definitiones sacramentorum. Cum autem in illa quæstione tertia incidit sermo explicandi definitionem magistri, quæ dicit quod: « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ut imaginem gerat, et causa existat, » manifestum est, quod in hac definitione non possunt univoce convenire sacramenta antiqua ratione ultimæ particulæ. Et sic D. Thomas ut commentator definitionis magistri, et secundum hanc definitionem optime dixit, non univoce se habere sacramenta vetera et nova, quod non dixit explicans alias definitiones.

## ARTICULUS III.

*Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum?*

I. Ex articulo elicitur duplex conclusio. Prima est, quod sacramentum non est signum unius rei tantum, sed omnium illorum quæ ad sanctificationem nostram causandam concurrunt, et tamquam efficiens, et tamquam forma, et tamquam finis.

II. Secunda conclusio, in calce corporis: Sacramentum (intellige de nostris) respectu passionis Christi est signum rememorativum, respectu gratiæ est demonstrativum, respectu gloriæ est prognosticum.

III. Primam conclusionem probat

S. Thomas primo in argumento Sed contra, in aliquo peculiari sacramento, et in corpore articuli generaliter de omnibus. In peculiari sacramento apparet quod eucharistia et significat corpus Christi verum quod sub speciebus continetur; et mysticum, scilicet, unionem fidelium, ut dicit Augustinus et colligitur ex primo ad Corinthios x: *Unus panis et unum corpus multi sumus, quia de uno pane et de uno calice participamus*; et præterea gratiam significat, quam præbet manducantibus: ergo plura significat hoc sacramentum.

IV. In corpore articuli id explicat S. Thomas, quia sacramentum, ut constat ex præcedenti articulo proprie dicitur, quod significat sanctificationem nostram, seu rem sacram prout sanctificat nos: in sanctificatione autem nostra tria considerantur, scilicet, per quem fiat, qua forma fiat, ad quid seu ad quem finem fiat. Fit enim per Christum mediante ejus passione; fit formaliter a gratia, ut a forma sanctificante nos; fit in ordine ad gloriam, seu vitam æternam, quæ est finis sanctificationis nostræ: hæc ergo omnia significant sacramenta.

V. Circa quam rationem notandum est, quod sanctificatio hominum, licet sufficienter fiat per gratiam, tamen cum sacramenta non sint data hominibus nisi post peccatum, ut post dicitur, et nos de illis tantum loquimur, non potest sanctificatio nostra fieri quomodocumque per gratiam, sed per gratiam ut redimentem, et ut datam per redemptorem Christum: *Nec enim aliud nomen datum est sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri*, Act. II, et: *De plenitudine ejus omnes accepimus*, Joan. I: oportet ergo sacramenta, quæ significant sanctificationem nostram ut post peccatum factam, quod significant redemptorem, seu

gratiam sanctificantem per redemptorem. Et cum gratia intrinsece dicat ordinem ad vitam æternam, non potest significari sanctificatio nostra mediante gratia, nisi significetur etiam vita æterna, cujus gratia est semen et participatio, et in cujus intrinseca ratione ille finis includitur: nec potest respici gratia nisi et finis ille ita intrinsecus respiciatur.

VI. Sed difficultas est, an virtualiter solum, et quasi consecutive significetur gloria; an etiam formaliter quasi expressa ac formali significatione in illud significatum tendat.

VII. Respondetur, quod unica impositione institutor sacramentorum illa omnia significata complexus est, vel formaliter omnia illa respiciens, quod certius videtur, cum formali cognitione et perfectissima attenderit Deus ad omnia illa, quæ sacramentis volebat significari, et mysteria omnia illa expressa ac formali cognitione tunc attenderit, vel virtualiter. Hoc enim parum interest ad propositum. Nam eo ipso quod instituebatur signum practicum gratiæ dandæ per Christum, in qua gratia includitur intrinsece ordo ad gloriam, consequenter includebatur significatio gloriæ, ut per gratiam obtinendæ, sicut imago vestigii consequenter significabat bovem.

VIII. Existimo tamen, sine dubio formalissime intendisse Deum non solum gratiam, sed et Christum et gloriam, cæteraque mysteria, quia licet inter se illa significata connexa sint, et non disparate ac dissolute significantur a sacramento, intendebat tamen Deus formaliter illorum omnium tradere signa, et non solum unius, et aliorum virtualiter.

## DUBIUM UNICUM.

UTRUM OMNIA SACRAMENTA SIGNIFICENT ILLA TRIA ENUMERATA A S. THOMA.

*Conclusio est affirmativa.*

IX. Pro qua notandum est, quod cum sacramenta sint signa ad placitum et ex institutione, tota eorum significatio ex institutione petenda est. De institutione autem constat de fide, significare sacramenta gratiam sanctificantem nos. Nam ita definitur in Florentino et Tridentino, ubi sæpe ponitur hæc differentia inter vetera et nova sacramenta, quod illa tantum significabant gratiam; hæc vero et significant, et causant simul: ergo constat manifeste gratiam sanctificantem ab omnibus sacramentis tam veteribus quam novis ex institutione sua significatam esse. Quod autem significant Christum Dominum et gloriam, partim ratione elicitur, partim de aliquibus sacramentis specialiter colligitur ex Scriptura. De baptismo enim constat Rom. VI: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ejus baptizati sumus*: de eucharistia constat I ad Corinth. XI: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, etc. mortem Domini annuntiabitis, etc.*; de matrimonio constat ad Ephes. V: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia*. De veteribus etiam sacramentis sub ratione totius legis comprehensis dicitur ad Hebræos X, quod: *Umbram habent futurorum bonorum, etc.* Constat autem quod præcipuum donum futurum erat Christus; et dicendo bonorum, clare supponit non unius rei tantum, sed plurium fuisse signa.

X. Ratione vero satis probatur conclusio ex ratione D. Thomæ, nam in sanctificatione nostra, ut modo fit et per sacramenta datur, impossibile est præscindere quod ea significetur ut gratia redemptoris, et non ut data aut danda per Christum, cum per sacramenta non descendat nisi ut sunt virtutes Christi, aut illis adjungebatur fides Christi; et præsertim nostra, quæ cum sint instrumenta Christi, magis intime causam principalem quam effectum respiciunt. Gloria etiam seu vita æterna significari debet ab ipsis, non solum quia ad hunc finem instituta sunt sacramenta, ut per ea acquiramus vitam æternam (finis enim propter quem instituuntur signa, distingui debet a re significata) sed quia est etiam res significata a sacramentis, quia significant gratiam non solum ut imperfecta est, sed ut consummata: *Gratia enim Dei, vita æterna*, ut dicit Apostolus Rom. VI, unde si significant gratiam, et non vitam æternam, diminute se haberent ad significandam sanctificationem nostram perfectam et consummatam.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Objicies primo: Quia sequitur ex hoc, non esse sacramentum signum univocum, sed saltem analogum. Nec obstat solutio D. Thomæ, quod significat illa ut ordinata, nam neque potest illa ut ordinata significare, neque etiamsi significet, hoc tollit quin sit analogum. Primum patet, nam significata per sacramentum sunt partim substantia et accidens, ut Christus et gloria; partim ens reale, ut prædicta, et ens rationis, ut mors Christi, quæ omnia nullatenus ordinari possunt. Secundum probat, nam analogia attributionis significant

unum de principali, et alia ut ordinata ad ipsum, sicut sanum significat de principali habens sanitatem et causam, aut signum sanitatis ut quid ordinatum ad sanitatem; et ideo analogum est: ergo similiter si sacramentum significat gratiam ut sanctificantem, Christum ut causam sanctitatis, gloriam ut finem talis sanctitatis, analogice analogia attributionis significabit; præsertim, quia terminus significans formam et causam formæ, est analogus, ut patet de sano: ergo similiter sacramentum significans gratiam et causas gratiæ, erit analogum signum.

XII. Respondetur solutionem S. Thomæ optimam esse. Et pro ejus explicatione et replicarum solutione, notandum est in primis, quod signum esse analogum, vel univocum, vel æquivocum, non habet locum in sacramentis, quia esse univocum vel analogum, solum dicitur de nominibus, non de rebus; et ideo oportet quod illa plura quæ significantur, nominentur eodem nomine. Unde res quæ sunt signa poterunt dici signa ambigua, sicut ea vocat S. Thomas solutione ad primum, non vero signa æquivoca, vel univoca, etc. unde in sacramentis non cadit analogia, vel univocatio. Ut autem sit signum ambiguum, dicit S. Thomas oportere quod significet multa quorum unum non ordinatur ad aliud. Ubi quæ autem significat plura ut ordinata inter se, non est ambiguum, et alias non est capax quod sit analogum, vel univocum: manet ergo signum certum et determinatum.

XIII. Deinde advertendum est, aliud esse significare plura, ex eo quod dicunt ordinem inter se, vel ad unum, seu ut sunt in uno; aliud esse significare plura ut ordine quodam sunt unum, aut ex eis efficitur unum. Significare enim plura pri-

mo modo, non denotat quod ex parte significati sit unum tantum, sed quod plura sint significata simpliciter solum proportionaliter, aut secundum quid unum, quia videlicet significatio, quæ fertur ad unum significatum, derivatur ad significandum aliud, ex eo quod dicit ordinem et habitudinem ad primum; vel saltem significat unum, quod non simpliciter est unum in his in quibus reperitur, sed proportionem est unum et inæqualiter ad ea descendit. Et ideo tale signum analogum est, quia plura quæ significat, non significat ut unum efficiunt, sed ut inæqualiter et proportionaliter participant unum.

XIV. Quæ autem secundo modo significant plura, non analogice significant, quia non significant illa plura ut conveniunt, aut participant aliquid commune, quod proportionaliter sit idem et simpliciter diversum; sed potius significant illa plura ut efficiunt unum ordine quodam, et sunt unum ordine quodam.

XV. Igitur ad argumentum dicitur, quod sacramentum, licet significet plura, tamen non est signum ambiguum, quia non significat illa plura ut plura, sed ut unum efficiunt ordine quodam. Et minus signum æquivocum, quia non significat plura omnino diversa, et secundum diversas significationes; nec est analogum, quia non significat plura ut partes subjectivas, et ut participant aut conveniunt in aliquo communi, quod inæqualiter ad ea descendat; nec significat unum, et postea derivatur significatio ejus ad significanda alia ut dicunt ordinem ad illud unum, sicut analogia attributionis; sed significant plura ut efficiunt unum, et concurrunt in ratione sanctificationis, non ut partes subjectivæ et participant aliquam rationem superiorem, sed

potius ut concurrentes ad illam.

XVI. Et ideo signanter dixit S. Thomas, quod quando significantur plura secundum quod ex eis efficitur quodam ordine unum, non est signum ambiguum; et subdit quod: « Sacramentum significat illa tria, secundum quod quodam ordine sunt unum. » Non dicit quod significat illa ex habituine quam unum habet ad aliud (sic enim essent analogia attributionis, ut dixerat articulo primo), sed significat illa ut sunt aut efficiunt unum ordine quodam.

XVII. Ad id quod dicitur in argumento, significare substantiam et accidens, etc. respondetur, non significare illa ut entia sunt, seu entitates quædam, qua ratione sunt penitus diversa; sed ut sunt et concurrunt ad unam rationem sanctificationis tali modo factæ, id est, per Christum, sicut nomen homo significat animam et corpus, quorum unum est substantia spiritualis, aliud corporalis; et respublica significat multitudinem hominum sub lege viventium et sub principe, unde significat substantiam, id est, homines, et accidens, id est, legem; et ens rationis, id est, ordinem rationis, quia unus homo legaliter et moraliter se habet ad alium, sic sacramentum significat sanctificationem nostram, in qua debet intrare gratia, et redemptor, qui est fons gratiæ, et consummatio ipsius gratiæ, quæ est gloria.

XVIII. Ad secundam probationem dicitur, quod sacramentum non est analogum attributionis, quia non significat illa ut nomen quod sit illis commune, sed ut signum factum ex elemento et verbis, quod significat illa plura ut efficiunt unum. Item etiam non significat illa plura secundum quod unum denominatur ab alio, aut secundum quod participant aliquam rationem

communem, quasi significet unum principaliter et alia denominative, quia dicunt habitudinem ad illud. Ut enim aliquod signum sit analogum, oportet quod significet unam rationem, quæ sit partim eadem, partim diversa, et proportionaliter solum eadem: sacramentum autem, verbi gratia, ablutio baptismi, non significat rationem partim eadem, partim diversam, quia non significat aliquid commune et participabile a multis, sed significat tamquam signum externum plura in individuo secundum quod concurrunt et efficiunt unum. Et sic ea quæ significant plura, non ut conveniunt in aliqua ratione communi, sed ut efficiunt et concurrunt ad unum tertium, non sunt analogia, sicut posuit S. Thomas exemplum de nomine homo, quod significat materiam et formam, non ut conveniunt in aliquo communi, sed ut efficiunt unum tertium.

XIX. Ad id quod ultimo subditur de termino significante formam et causam, qui est analogus, respondetur quod si significet illa ut conveniunt in aliqua ratione communi proportionaliter eadem, tunc erit analogus: si autem significet illa prout ex eis efficitur unum, aut ordine quodam sunt unum, ut S. Thomas dicit ad primum, tunc nullo modo erit analogus, sed simplex quoddam signum significans unum quid. Et ideo hoc nomen causa, in probabili sententia potest sustineri quod sit analogum, quia significat plura ut conveniunt in una communi ratione. De essentia enim analogi et æquivoci est, quod sit nomen commune.

XX. Secundo objicies: Nam sacramentum habet aliquod significatum principalius, scilicet gratiam aut Christum, aliud vero minus principale; ergo non est univocum, sed analogum. Respondetur,